

licentiam, aut defleget ad Tyrannidem: Quare, quæ ex Paulo j. Epist. ad Timoth. vj. 20. & ij. Timoth. ij. Censor citat, *Quum Timotheum suum aversari jubet profanos de rebus inanibus clamores, & oppositiones falso nominatae sapientiae, (qualis fuit illa Hymenæi & Phileti falsa doctrina, dicentium, Resurrectionem jam factam,) & alibi, stultas quæstiones reuicere & vitare; ea omnia ad rem non faciunt. Nam illas ipsas quæstiones, quæ à Paulo vocantur oppositiones falso nominatae sapientiae, qualis erat doctrina Hymenæi & Phileti, ut jam decisas & rejectas à Paulo, in controversiam iterū adduci non permittit Declaratio, quia sunt ipfissimum verbum Dei, quod unum extra controversiam in Christianis Synodis ponit Declaratio, & ad quod controversias omnes expendi vult. Sed videndum tamen est etiam atque etiam, ne nobis Apostolicam autoritatem arrogemus, aut turpi adeò adultatione nobis ipfis imponamus, ut quæcunque receptis nostris opinionibus obiciuntur quæstiones, ad eas statim accommodemus hæc Apostoli verba, easque ut profanos de rebus inanibus clamores & oppositiones falso nominatae sapientiae, illicè respuamus, non aliter, quam si in eas digitum intendisset Apostolus, aut nobis, Apostolica ista oratione audacter utentibus, non aliter quam Apostolo credendum fit. Hoc si nobis semel indulgeamus, periit libertas; mera servitus Christianos tenebit. Quod quæque facta volet, id tantum in controversiam deduci sinet. Cætera omnia ultra libertatis terminum erunt, & licentiæ effrænis convitio reprimenterunt: quod ipfissimum Papatus fundamentum est.*

Post hæc examinat Censor loca ad marginem Declarationis annotata, pro libertate ista plenaria, quam diximus. Ea, inquit, nihil tale probant. Nam cum Paulus, inquit, omnia probate, quod bonum est tenete, eo non vult, in disceptationem adduci vel admitti posse aut debere omnia, sed illud generale Omnia, restringendum est ad ea, quæ apud finales explorationi subjecta sunt. Quasi vero omnia in universum, absq; ullo discrimine, in quæstionem admitti aut adduci posse, Declaration ex isto loco probatum velit. Nihil minus. De libertate sententiam suam dicendi, & in aliorum opinione inquirendi, juxta Dei verbum, tanquam certam & infallibilem normam veritatis ac iudicij agit, quod ipsum est, uti Censor loquitur, prophetia Scripturarumq; interpretatio, sive libera de Scripturæ sensibus sententiæ dictio. Atque hanc interpretationem generatim intelligi vult Declaration. Quod si Censor hanc prophetiam sive Scripturarum interpretationem non generatim accipi vult, sed restringi ad hos aut illos sensus

Inepta locorum duorum ex I. ad Tim. vj. & ij. ad Timoth. ij. citatione refelliatur.

Loca ad marginem Declarationis citata vindicatur.

Primus locus ex I. ad Thes. v. 21. a Censoris exceptiōnibus adstruitur.